



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et  
Sexto Decretalium Continentvr

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Regvla XLIV. Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

## REGVLA XLIV.

*Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

1. **E**Adem est I.C. 184. *Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare.* Aliqui in odiosis locum habere tradunt, ut *Ornatus disp. 29. n. 53.* quod nihil absurdi continet. Qui verò eandem esse cum præcedente Regula arbitrantur, hallucinantur. Non enim hic de consensu tacito agitur, sed ad interrogationes pertinet, quæ ad elicendam responsionem fiunt. Creditor ex. gr. Titium interrogat, an non fateatur, sibi 100 aur. debere: Titius, cum extra iudicium sit, sciatque se debere, nihil respondet, sed purè tacet. Nec fateri cum Regula dicit, neque negare: eò quòd inter affirmationem & negationem positivam intermediat silentium, in quo nec affirmatio nec negatio continetur. Coram Iudice tamen pro confessione accipitur silentium quod tenerur justè querenti veritatem præstare. *c. 2. de confessionis in 6. Navarr. c. 25. n. 26. Azor. III. l. 13. c. 25. Damasus in Reg. 47.*

II. Exemplum habes I in *c. Anteriorum 2. q. 2.* Iudex contra me sententiam definitivam protulit, tacui, cum possem appellare. An idcirco consensu, aut fassus sum crimen? *Mimine.* Negavi igitur. Neque hoc, sed reservo jus intra decem dies, si videbitur, appellandi.

2. Ex *c. Nihil prodest. de prescript.* ubi dicitur, Taciturnitatem Pontificum, & patientiam in rebus pauperum nullum præjudicium facere. Vnde concludimus generaliter, quando Prælati quicquam dissimulat ad vitandum scandalum, aut aliam causam, non valere argumentum, quod propterea consentiat, vel approbet: nec tamen contradicit, sed in medio hæret.

3. Ex *Accursio Gloss. adfert.* Si domino contradicente servus contrahat, tenetur de peculio tantum, & deducitur, quod domino debetur. *l. Si quis servum. tit. de peculio.* Si autem domino expressè jubente, tenetur in solidum. *l. 1. tit. quod iussu.* Cum verò scit, & tacet, nec deducit sibi debitum, nec in solidum tenetur, sed tributoria tantum. *l. scientiam. tit. de tributoria actione.*

**NOTA** Tributoria actio dicitur, quæ inter dominum, & eos, qui cum servo cõtraxerunt, pro rata lucrum dividit, qualiscunque sit negotiatio. v.g. si contigerit servum diversis atque etiam domino suo debere, cogitur merces suas in medium proferre, quarum pro rata æris alieni fit divisio, nec in ullo dominus potior est, sed debitum æqualiter dividitur. Si quid amplius ad hujus Reg. intellectum desideratur, ex dictis ad præcedentem sumi potest.

REGV-